

## MICHAELIS AB ALBRECHT DĒ SIMIĀ HEIDELBERGENSĪ

### LIBER IV

#### Dē boum philosophiā quī et κατάβασις<sup>1</sup>

[In margine pāginārum explānantur vocābula quae nōn reperiuntur in librīs quī inscrībuntur *Familia Rōmāna et Sermōnēs Rōmānī*. Loquitur simia Heidelbergensis, dum per arborēs incēdit<sup>4</sup>...]



mihi quidem professōrem Strabōnem vēra vāticinātum esse sentīrem.

Quā in rē cum ab hominibus, quī dīs illīs foetidīs<sup>8</sup>, quattuor rotīs praeditīs, sē tōtō animō dēdidissent, vix quicquam<sup>11</sup> spērārī posse vīdissem, animālia adīre cōnātus sum.

Quōrum vel maximē<sup>12</sup> bovēs admīrābar, quibus plūrimās virtūtēs īnesse crēdēbam: labōrum patientiam, ingeniī cōstantiam, animī tranquillitātem, rēgālem<sup>13</sup> quandam dignitātem<sup>14</sup>. Sed in prātīs, id quod valdē mīrābar, nusquam bovēs vidēbantur.

Intereā, cum iam advesperasceret ad casam quandam agrestem<sup>16</sup> vēnī magnīs stabulīs circumdatam, ē quibus armentōrum<sup>17</sup> mūgitus<sup>18</sup> audiēbātur. Quae cum ē tectō per fenestellam<sup>19</sup> adapertam<sup>20</sup> īspexissem, vaccās vīginti vel trīgintā vīdī, audīvīque strepitum vinculōrum<sup>21</sup> catēnārumque crepitantium<sup>22</sup>. Ē quibus ūnam, quae mihi vidēbātur paulō minus hebes cēterīs, allocūtus<sup>23</sup>:

1. κατάβασις: descensus
2. **mente**  **fingere** = imāginārī, animō contemplārī.
3. **ēnarrāre** = diligenter narrāre
4. **incēdere** = īre
5. **librāre** = sustinēre, suspendēre
6. **dēficere** = dēesse
7. **usque** = ad eum finem
8. **foetidus-a-um** = quī male olet
9. **praeditus-a-um** = quī habet, ornātus, instructus
10. **dēdēre**, dēdidisse = dare
11. *vix quisquam*, quaequam, quidquam sīve quicquam = vix aliquis, prope nūllus
12. **vel maximē** = etiam maximam partem
13. **rēgalis, -e** = rēge dignus, rēgius
14. **dignitas, -ātis, f.** < dignus-a-um
15. **advesperascit** = vesper advenit



*casa, -ae, f.*

16. **agrestis, -e** < ager
17. **armentum, -ī, n.** grex maiōrum bestiārum
18. **mūgitus, -ūs, m.**, vōx boum, vaccārum.
19. **fenestella, -ae,** parva fenestra
20. **adaperīre,** adaperuisse, adapertum < aperīre
21. **vinculum, -ī, n.**, catēna.
22. **crepitare,** strepitum facere



*stabulum, i. n.*

“Nōnne tē, dīxī, quae lacte sīs candidior, īnachide pulchrior, cuīque sint oculī lūnōne dignī, dēsiderium prātōrum amoenitātis, flōrum varietātis, vīvōrum fontium salūbritātis tenet?”




Ad quae illa quidem nihil; nisī quod caudam paululum mōvit, ut muscās abigeret<sup>24</sup>. Iamque mē paenitēbat<sup>25</sup> sermōnis tam urbānī colōrēs in vaccā perdidisse, cum ōre adapertō haud inhūmānē<sup>26</sup> mūgīvit<sup>27</sup> et per rūminātiōnis<sup>28</sup> intervalla<sup>29</sup> tālia ferē ēdedit<sup>30</sup>:

“Ex longinquo mihi, hospes, vidēris vēnisse; immo ex dīversō tē esse stabulō dīcerem, sī esse alia stabula crēderem. Quod nī ita sē habēret, hoc genus vītae, quod nōbīs hoc dēmum bēatissimō saeculō contigisset, et pulcherrium et amoenissimum et salūberrium esse omnium scīrēs. Nam quid hōc stabulō pulchrius excōgitārī potest, in quō ipsa vincula strepitū nōbīs indicant nōs dēmum vērae libertātis esse participēs: nōnne enim lūcis ēlectricae ope ē servitūte nātūrae in libertātem vindicātae sumus nōn amplius<sup>31</sup> cūrantēs sitne diēs an nox, aestās an hiems? Deinde quid mūsicā Sebastianī Bachī amoenius, quā cotīdiē audītā ad praebendum lac impellimur<sup>32</sup>? Tum quid hīs praeṣēpibus<sup>33</sup> lautiſ, quibus semper pāscimur, quid hīs māchinīs mulctrīcibus pūrius, quae nōs dominiō hominum liberant, quid hōc rīvō artificiōsō<sup>34</sup> salūbrius, quō quidquid fēcimus fimi<sup>35</sup> statim abluitur asportāturque? Hīc tū mihi nesciō quōs sōlēs, fontēs, caespitēs<sup>36</sup> narrās –dē herbae carpēdae labōre, dē arātrī servitūte, ā quā tandem sumus līberātāe, tacēs? Nōn mehercule vir, sed anus<sup>37</sup> quaedam mihi vidēris esse, haud dissimilis aviae meae, quae in angulō illō stāns ūsque ad mortem lāmentāta est<sup>38</sup> – dōnec propter sermōnēs liberrimī nostrī saeculī

23. **adloqui aliquem** = loquī ad aliquem



24. **abigere**, ex-pellere  
 25. **mē paenitet**, -ēre : mihi dolet animō, culpam agnosco meam, scio mē esse in culpā.  
 26. **inhūmānē**, adv. mod.  
 27. **mūgīre** > mūgītus  
 28. **rūminātio**, -ōnis, f. < rūmināre, quod est, dēvorātūm cibum rursus a rūmine, seu gulā, ad ōs revoco et iterum mando.  
 29. **intervallum**, -ī, n., spatium  
 30. **tālia ferē ēdedit** = tālia verba prope fēcit.



31. **nōn amplius** = nōn magis, nōn plus  
 32. **impellere** : cōgere  
 33. **praeſēpe**, - is, n. est locus saeptus in stabulō ubi pābulum iūmentīs appōnitur.



34. **rīvus artificiōsus** est rīvus arte factus.

indignōs suppliciō dīgnissimō affecta est. Cēterum equidem omnia illa, quae narrās – sōlēs, fontēs, prāta-somnia puto fābulāsque neque quicquam vērī aut solidī praeter hoc stabulum esse crēdo.”

Haec cum audissem, āeris corruptī taediō<sup>39</sup> affectus ē stabulō in silvās fūgī talia summō cum maerōre<sup>40</sup> cōgitāns:

*Ō Germānia, terra quae  
 ūlim cāra poētis,  
 māter tū sapientium,  
 ars quā mūsica nāta est:  
 silvis orba<sup>41</sup> tuīs, anus  
 crīnēs ut spoliāta<sup>42</sup>,  
 obtūsō<sup>43</sup> data mīlitī  
 caupōniique<sup>44</sup> procācī<sup>45</sup>  
 heu quam es dissimilis tuī,  
 sectāns commoda vītae!  
 nam caelestia sunt tibī  
 nōn iam carmina cūrae,  
 nec cernunt<sup>46</sup> oculī tuī,  
 quid pulchrum, quid honestum,  
 nec sānctae sapientiae  
 vōcem surdior audīs.  
 sōlī dēdita tū lūcro  
 quid nōn, impia, vendis?*

## EXERCITIA

1. Auditā narratiōne, imāginibusque spectatīs, summātim expōnito, tum in pagellā scribendō, tum sodālibus ēnarrandō, ea quae narrāta sunt.
2. Textum relegito, inspectis vocabulis imaginibusque ad oram paginae appositis.
3. Dīcito vel scribito aliter sententias sublīneātās:
4. Respondē hīscē interrogatīs:

- Quid queritur simia rāmīs arborum suspensa?
- Dē quibus dīs foetidīs loquitur simia?
- Cūr hominibus diffīdit?

35. **fimus**, ī, m., sunt excrementa animālium quibus agrī stercorantur.

36. **caespes**, caespitis, m., caespes est terra in modum lateris caesa cum herba.



37. **anus**, -ūs, f., mulier multōrum annōrum, fēmina aetāte proiectior.

38. **lamentārī**, dep., est vōce tristī dolere.

39. **taedium**, -ī, n. molestia, fastidium.

40. **maeror**, maerōris, m., tristitia magna.

41. **orbus**, -a, -um, sine parentibus.

42. **crīnēs ut spoliāta**, velut crīnibus prīvāta

43. **obtūsus-a-um**, latiōre sensū est acūmine carens.

44. **caupo**, caupōnis, m. est mercātor, imprīmīs esculentōrum pōculentōrumque venditor quī operātur in caupōnā.

45. **procax**, procācis, est petulans, temerārius.

46. **cernere**, est distinguere rēs dīligenter aspiciendō eās.

- Quālēs bestiās ēlegit adeundās?
- Quid sibi vult haec sententia quam aperuit vacca: *Quod nī ita sē habēret?*
- Quam fabulōsam narrātiōnem cuiusve auctōris allūdere tibi videntur verba illa quae protulit bos?
- Quam ob rem vaccae illiūs avia suppliciō affecta est?
- Quam quālemve Germāniām dēsiderat simia carmine suō?

5. Mendum reperīto idque ēmendāto:

- Simia multōs arborēs aegrōtōs esse animadvertis.
- Dē hominibus desperāvit simia quod illī sē tōtī dēdidissent vehiculīs automatāriīs.
- Vacca nōn crēdit nūllam rem praeter illud stabulum vēram esse.
- Simia queritur Germāniae oculōs nōn iam cernere quid pulchrum est, quid honestum.